



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. LVII. Quòd homo non sit nimis deiectus, quando in aliquos labitur  
defectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

posuisti mihi. Verè vita boni monachi, crux est, & dux paradisi. Incep-  
tum est, retrò abire non licet, nec  
relinquere oportet.

*S*EIA fratres, pergamus simul, Iesus  
erit nobiscum : propter Iesum suscep-  
timus hanc crucem : propter Iesum  
perseueremus in cruce. Erit adiutor  
noster, qui est dux noster, & præces-  
sor. En, rex noster ingreditur ante nos,  
qui pugnabit pro nobis. Sequamur  
viriliter, nemo metuat terrores; simus  
parati mori fortiter in bello, nec infe-  
ramus crimen gloriae nostræ, ut fugia-  
mus à cruce.

## CAP. LVII.

*Quod homo non sit nimis deiectus,  
quando in aliquos labitur  
defectus.*

**F**ILI, magis placent mihi patientia  
& humilitas in aduersis, quam  
multa consolatio & deuotio in prospe-  
ris. Ut quid te contristat, paruum fa-  
ctum contra te dictum ? Si amplius  
faisset, commoueri non debuisses. Sed  
nunc permitte transire : non est pri-  
mum,

mum , nec nouum , nec vltimum erit,  
si diu vixeris . Satis virilis es , quamdiu  
nil obuiat aduersi : Benè etiam cōfusis ,  
& alios nosti roborare verbis : sed  
cūm ad ianuam tuam venit repentina  
tribulatio , deficis consilio & robore .  
Attende magnam fragilitatem tuam ,  
quam sæpiùs experiris in modicis ob-  
iectis : tamen pro salute tua ista fiunt ,  
cūm hæc & similia contingunt .

2 Pone , vt melius nōsti ex corde : &  
si te tetigit , non tamen deiciat , nec diu  
implicet . Ad minus sustine patienter ,  
si non potes gaudenter . Etiam si mi-  
nùs libenter audis , & indignationem  
sentis : reprime te , nec patiaris aliquid  
inordinatum ex ore tuo exire , vnde  
paruuli scandalizentur . Citò con-  
quiescet commotio excitata , & dolor  
internus reuertente dulcorabitur gra-  
tia . Adhuc viuo ego (dicit Dominus )  
iuuare te paratus , & solito amplius  
consolari ; si confisus fueris mihi , &  
deuotè inuocaueris . Iij.49.

3 Animæ quior esto , & ad maiorem  
sustinentiam accingere . Non est totum  
frustratum , si te sæpiùs percipis tribu-  
latum , vel grauiter tentatum . Homo

L  
es ,

es, & non Deus: caro es, non Angelus.

Quomodo tu posses semper in eodem

*Genes. 3* statu virtutis permanere, quando hoc defuit angelo in cælo, & primo homini in paradiſo? Ego sum, qui mærentes erigo ſolpitate: & suam cognoscentes infirmitatem, ad meam proueho diuinitatem.

*Ps. 118.* 4 Domine, benedictum sit verbum tuum, dulce super mel & fauum, ori meo. Quid facerem in tantis tribulationibus & angustiis meis, niſi me confortares tuis sanctis sermonibus? Dummodò tandem ad portum ſalutis perueniam, quid curæ eſt, quæ & quanta paſſus fuero? Da fine in bonum: da felicem ex hoc mundo tranſitum. Memento mei Deus meus, & dirige me recto itinere, in regnum tuum. Amen.

## C A P. L V I I I .

*De altioribus rebus, & occultis iudiciis Dei, non scrutandis.*

**F**ILI, caueas disputare de altis materialiis, & de occultis Dei iudiciis: cur iste ſic relinquitur, & ille ad tantam